


**05  
A  
1512**



DISPUTATIO PHYSICA  
FULMINE,  
*De*

*Quam*  
AUSPICE CHRISTO,  
*Sub*  
PRÆSIDIO

*VIRI*  
CLARISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

Dn. M. JOHANNIS Sperlinge/  
PHYSIOLOGIÆ PROFESSORIS PUBLICI,

Amplissimi Philosophorum Collegij  
p. t. DECANI Spectabilis,

Dn. Præceptoris, Fautoris & Promotoris singulariter  
honorandi,

*Publicè propugnaturus est*

JOH. ADAMUS MULLER Obernbrettâ-Franc.

*Ad diem 14. Martii, in Auditorio Majori  
boris matutinis.*

---

WITTEBERGÆ  
Ex officinâ Typographicâ MICHAELIS Vendt  
ANNO M DC XLIII.

DISTRIBUTORIA  
ETI MUNDI

ARCHIE CHRISTO



05 A 15124

1932-2498

# Præloquium.

Gnium miracula nec pauca, nec  
levia sunt. Igne lapides solvuntur in  
æra, igne gignitur ferrum ac doma-  
tur. Igne fiunt cæmenta, cremato  
lapide igne. Igne ex arenâ vitrum  
funditur, aliaq; & naturæ & artis ope-  
ra finguntur. Ut universalis artifex  
dictus fuerit, dubiumq; subortum, an plura absunt, an  
pariat. In Meteoris, admirandis illis Mundi spectaculis,  
exercet se egregiè, unde integra classis Meteororum  
Ignitorum pronata. Quæ inter Fulmina cum primis  
humanas movent mentes, terrentq; mortales. Si qua  
in nos tantæ rei cadere potest cognitio, vestigabimus o-  
pus hoc inter cœlum terramq; extans & mentes indomi-  
tas Deumq; ipsum negantes stupescere præstans.

## THESES.

I. De fulmine plebs ait: malo fulmina non timere, quam  
nosse. Alios doce, quemadmodum fiant. Ego mihi metum il-  
lorum excuti malo, quam naturam indicari.

II. Respondet Seneca: Sequar quò vocat, omnibus enim  
rebus, omnibusq; sermonibus aliquid salutare miscendum est. Cum  
imus per occulta naturæ, cum divina tractamus, vindicandus est à  
malis suis animus, ac subinde firmandus: quod etiam eruditis, &  
hoc unum agentibus necessarium est: non ut effugiamus ictus re-  
rum, (undiq; enim tela in nos jaciuntur) sed ut fortiter constanterq;  
patiamur. Invicti esse possumus, inconcussi esse non possumus:  
quanquam interim spes subit, inconcussos quoque esse nos posse.

*Libr. 1. Quest.  
Natur. cap. 59.*

III. Et paulò pòst: Contemne mortem, & omnia quæ ad  
mortem ducunt contempta sunt: sive illa bella sint, sive naufra-  
gia, sive morsus ferarum, seu ruinarum subito lapsu procidentium

A 2 ponde-

pondera. Num quid amplius facere possunt, quam ut corpus ab anima resolvant? Hac nulla diligentia evitatur, nulla felicitas dormitat, nulla potentia evincit. O te dementem & oblitum fragilitatem tuam, si tunc mortem times, cum tonat! Itane salus tua in hoc vertitur? Vives, si fulmen effugeris? Petet te gladius, petet lapis, petet febris. Non maximum ex periculis, sed speciosissimum fulmen est.

IV. Nos illud petimus, quod licebat in familia Xenophontis, qui ita: Si a me ignem quis, aut aquam forte non habente poscerit, locum unde hauriat ostendam. Alterius nempè id est artificis. Suum tribuendum cuique, suum Ethico, suum Physico. Ille id agat, nos aliud. Ille affectus moderetur, nos contemplabimur. Ille mortis monstrat contemptum, nos indicabimus natum. Ille fulminum excutiat metum, nos inculcabimus ortum.

*Definitio.*

V. Est igitur Fulmen meteorum ignitum in nubibus ex sulphuris & nitri pugna genitum, & ex iis violenter per aetem ad terram detrusum.

VI. Genus meteorum ignitum est. Ignium enim jaculationes testatur sensus, confirmat effectus. Differentia à Subjecto, Causa Proxima, & Modo, sumitur. Quæ singula indaginis altioris sunt.

VII. Subjectum nubes est: sed ὡς θῆρα πολυ. Nam & sine nubibus cœlo sereno facta leguntur fulmina. Plinius ait: In Catalinianis prodigiis Pompejanō ex municipio M. Herennius Decurio sereno die fulmine ictus est. Et Seneca inquit: Aetna aliquando multo igne abundavit: ingentem vim arenæ urentis effudit. Involutus est dies pulvere, populosq; subita nox terruit. Illo tempore a junt plurima fuisse tonitrua & fulmina: quæ concursu aridorum corporum facta sunt, non nubium: quas verisimile est, in tanto fervore aeris nullas fuisse.

*Lib. 2. Cap. 51.*

*Quæst. Natur.*

*Lib. 2. Cap. 30.*

VIII. Causa Proxima est, sulphuris & nitri pugna. Sulphur adflammam concipiendam, alendam, & augendam necessarium est. Ubiunque inflammatio datur, ibi sulphur subest. Et in terra, & supra terram. Et in nubibus, & extra eas. Lignis ipsis si non inesset, nec calefactioni inservirent, nec coctioni.

Hoc



IX. Hoc cum vaporibus elevatur, nubiumq; petit locum.  
Accenditur autem non secus ac nostris in terris. Quis enim nescit  
flammam non flammâ semper gigni: sed nunc motu, nunc asper-  
sione aquarum, nunc attritu corporum, nunc reflexione radiorum,  
nunc modis aliis. Dives enim natura est, & modus agendi mul-  
tiplex.

X. Sonitus ex aeris fractione nascitur proximè. Aer enim  
percussus sonum edit. Hinc murmura ventorum, cunctiq; strepi-  
tus. Hinc omnis linguarum exercitus vocalis est, cunctaq; tubæ  
& taratantaræ sonant ac resonant.

XI. Frangitur autem aer à nitri & sulphuris concursu. Sul-  
phur enim & nitrum tamdiu se invicem tolerant, quamdiu calor  
non excitatur, nec flammat sulphur concipit. Factâ verò inflam-  
matione pugna oritur, aerq; interceptus frangitur, unde fragor &  
crepitus.

XII. Non secus ac in pulvère pyro fit. Hic enim pariter è  
sulphure & nitro componitur. Unde & flammat & sonum dat.  
Flamma accensi sulphuris effectus est: sonus ac fragor nitri fugien-  
tis aeremq; frangentis. Eadem ergò materia ad nubes delata eos-  
dem edit effectus.

XIII. Et sanè magnâ in copiâ terræ ejectant effluvia, quæ  
de sulphure, nitro, bitumine, calce, & aliis participant. Hæc non  
allisa tantum, sed & levi aspersa humore accendi queunt. Sicut  
notum cunctis, calcem vivam humidi aspersione accendi.

XIV. Celeerrimus Sennertus ait: Non ignotum ex ni-  
tro, sulphure, calce vivâ & bituminibus misturas fieri posse, quæ  
humidi aspersione, veletiam sputo saltem accenduntur. Vis au-  
tem illa neque à sulphure solo, neque à nitro pendet, sed ab iis  
mistis.

XV. Et paulò post: Ex quibus de generatione tonitruî  
judicare non difficile. Nam ubi vapores sulphurei & nitrosi tem-  
pore aestivo à calore Solis, præcipue flantibus ventis meridionali-  
bus invisibiliter sursum elevantur, & posteà vel à ventis oppositis,  
vel frigiditate mediæ regionis uniuntur & condensantur, fit ut ibi  
accendantur, atque hic & sonus & coruscatio oriatur.

XVI. Dubium verò surgit; an nitrum quoque inflammetur? Ajunt id communiter, sed de causâ desperant prorsus. At verè causam quærunt rei quæ non est. Nitrum salis species est. Inflammatio non salem, sed sulphur sequitur. Non ergò nitro tribuendum, quod sulphuris est.

In Consens. ac  
Diss. Cap. 29.

XVII. Unde Experientissimus Sennertus ait: Puto nitrum non accendi, sed potius ab igne aufugere, illumque maximè aversari, & contrà ignem nitrum. Etenim si ferro carenti iniciatur nitrum, non accenditur, sed saltē exhalat. Si verò in carbonem ignitum iniciatur, tum flamma eisdem excitatur, non quod nitrum inflammatur, sed quod ignis, cum in carbonem nitrum sese penitus insinuat, nitrum fugit.

XVIII. Modus hic est. Fulgor velut nube ruptâ ad terras detruditur, quas latè illustrat: & sàpè junguntur tonitrua, quæ fragore terras terrent: ipsum quoque telum fulmineum interdum dejicitur, stupidosq; facit mortales.

XIX. Fulgor itaque est flammæ micatio, à sulphure accenso orta, lumen de se spargens, lateque tractum terrenum illustrans.

Exerc. 16. s. I.

XX. Descendit hoc, nec tamen grave est. Non naturæ propriæ, sed externi pellentis ope. Unde Scaliger ait: Quæ è summo descendunt, ea moveri (didicimus) motu hoc, aut per se à naturâ, aut per accidens à vi. Naturâ descendit pluvia, quæ erat exhalationis pars, subiecta primùm calore mixta: quo altius abundante destituta suopte pondere defertur. Vi autem vapor igneus excutitur deorsum expressione.

XXI. Tonitru est sonus in nube ex fractione aeris ob sulphuris ac nitri pugnam excitatus.

XXII. Differunt tonitrua sono. Quædam enim acutum, quædam gravem sonum edunt. Prout aér nubibus inclusus finditur ac scinditur. Cum celerrimè à materiâ subtilissimâ & rapidissimâ frangitur, acia fiunt tonitrua, quæ attonitos reddunt homines. Cum tardè à materiâ crassâ agitatur, murmur oritur grave & raucum, quod commoda potius quam dama promittit.

XXIII. Lapis fulminaris est corpus durum ac solidum in nubibus generatum, & cum fragore in terram prolapsum.

Hoc

**X X I V.** Hoc fulmineum telum in nubibus generatur, nil  
obstante quod lapides matricem quasi terram postulent. Non sa-  
nè tanta loci certitudo, tanta necessitas. Facilis procreatio lapi-  
dum est præsente spiritu lapidifico. Facile etiam hic elevatur, &  
hunc fulminis generat cuneum. Sicut ferrum quoque & chaly-  
bem ibidem generari terrisq; immitti, docuit magistra rerum ex-  
perientia.

**X X V.** Dividitur Fulmen in Terebrans, Discutiens, & U-  
tens.

*Divisio:*

**X X VI.** Terebrans est, quod ob sui tenuitatem terebrat ac  
durissima quæque comminuit. Hoc conflatum fuit argentum  
salvo & illæso marsupio. Hoc liquefactus gladius integrâ vaginâ.  
Hoc consumta animalium ossa carne inviolatâ. Hoc mutata vi-  
na illæsis doliis.

**X X VII.** Seneca inquit: Mira fulminis, si intueri velis, o-  
pera sunt nec quicquam dubii relinquentia, quin divina insit illis  
& subtilis potentia. Loculis integris ac illæsis, conflatur argen-  
tum. Manente vaginâ, gladius liquefit. Et inviolato ligno, cir-  
ca pila ferrum omne destillat. Stat dolio vinum, nec ultra triduum  
rigor ille durat.

*Lib. d, Cap. 13.*

**X X VIII.** Discutiens est, quod conglobatum spiritus sul-  
phurei & nitroſi, coacti & procelloſi, commixtam vim habet.  
Hoc disjiciuntur ac dissipantur icta. Hoc turres franguntur,  
quercus scinduntur, aliaq; licet durissima sint disjiciuntur.

**X X IX.** Quod dissipat, habet Seneca, conglobatum est, &  
habet admixtam vim spiritus coacti & procelloſi. Itaque illud  
fulmen per foramen quod ingressum est, redit & evadit. Hujus  
latè sparsa vis rumpit icta, non perforat.

*Cap. 40.*

**X X X.** Urens est, quod magis igneum est, & tacta lædit vel  
afflando, vel accendendo, vel comburendo. Hoc dominis accen-  
duntur, homines extingvuntur, tuguria comburuntur.

**X X XI.** Subtiliter Seneca scribit: Tertium illud genus quod  
urit, multum terreni habet, & igneum magis est, quam flammeum.  
Itaq; relinquit magnas ignium notas, quæ percussis inhærent. Nul-  
lum quidem sine igne fulmen venit: sed hoc propriè igneum dici-  
mus, quod manifesta ardoris vestigia imprimat. Quod aut urit,

*l. 4.*

*aus*



aut fuscatur, tribus modis urit: aut enim afflat, & levi injuriâ lœdie,  
aut comburit, aut accendit. Omnia ista urunt, sed genere & mo-  
do differunt. Quodcumq; combustum est, utiq; & ustum est. At  
non omne quod ustum, utiq; & combustum est. Item quod ac-  
censum est. Potest enim illud ipso transitu ignis ussisse. Quis  
nescit quædam ura quidem, nec ardere? Nihil autem potest ardere,  
quod non uratur. Unum hoc adjiciam. Potest aliquid esse com-  
bustum, quod non sit accensum. Potest accensum esse, nec com-  
bustum.

## Quæstiones.

### 1. *An fulmina ex calidi & siccî pugnâ trabant ortum?*

*Resp.* Fulminum generationem communiter hoc  
fieri putant pacto. Halitus calidi & siccî elevantur, & in  
mediâ aeris regione in nubem conglobantur. Tunc pu-  
gna calidi & frigidi oritur, ubi calidum à frigido obse-  
sum exitum querit, huc illucq; per nubis cavitatem dis-  
currit ac tandem perrumpit. Ibi sonitus excitatur, non  
secus ac in lignis & castaneis igni admotis. Halitus enim  
rarefactus, nec locum quo continetur satis amplum na-  
tus, vi quâ porta dari potest erumpens fragorem illum  
excitat. Quem modum Seneca etiam approbat & ex-  
emplis declarare laborat. Primum omnino, inquit, non  
quocunq; modo allisæ sunt, sonant, sed si aptè sunt compositæ ad  
sonum edendum. Aversæ inter se manus collisæ non plau-  
dunt, sed palma cum palmâ collata plausum facie. Et pluri-  
mum interest, utrum cave concutiantur, an planæ & extente.  
Deinde non tantum nubes ire oportet, sed agi magnâ vi, &  
procellosâ. Etiam mons non scindit nubem, sed dirigit, & pri-  
man quamq; partem ejus solvit. Ne vesica quidem, quocunq;  
modo

Lib. 2. Natur.  
Quest. Cap. 18.

modo spiritum emisit, sonat. Si ferro divisa est, sine ullo aui-  
rium sensu exit. Rumpi illam oportet, ut sonet, non secari.  
Idem de nubibus dico: nisi multo impetu dissiluere, non sonant.  
Adjice nunc, quod nubes in monte acta non franguntur, sed cir-  
cumfunduntur in aliquas partes montis, arboris ramos frui-  
ces, aspera saxa & eminentia. Et ita discutiuntur, & si quem  
babent spiritum, multifariam emitunt, qui nisi universus e-  
rumpit, nec crepat. Hoc ut scias, ventus qui circa arborem fun-  
ditur, sibilat, non tonat. Lato, ut ita dicam ictu, & totum  
globum semel dissipante opus est, ut sonitus erumpat: qualis  
auditur cum tonat. Prater hec natura aptus est aer ad vo-  
ces. Quidni? cum vox nihil aliud sit; quam ictus aer? De-  
bent ergo nubes utrinque dissecari, & cava & intenta. Vides  
enim quanto vocaliora sint vacua quam plena, quanto intenta,  
quam remissa. Ita tympana & cymbala sonant: quia illa re-  
pugnant ex ulteriore parte spiritum pulsant, bac ad ipsum  
aerem acta, nisi concavo non tinniunt. Haec Seneca. Ve-  
rum nec vera sunt quae narrat, nec tantae rei causae. Fun-  
damenti loco ponit nubium cavitatem & intentionem.  
Ast quam lubricum hoc, quam nullo sensu, nullâ ratio-  
ne probatum! Nubes quid aliud, quam nebula, quam  
vapor? Ostende cavitatem in vapore, ostende in nebu-  
la. Quod nebula est in aere infimo, nubes est in me-  
dio. Ut diversitas loci diversum gignat meteorum.  
Daturae in nebulâ cavitas, quemadmodum in tympa-  
no? Vapores suntne cavi, cavi fumi? Neutquam. Per  
medias nubes sèpè transimus, inquit Seneca. Et recte. Lib. I. Cap. 4.  
Qui enim montium altiorum summa condescendunt,  
per nubes transeunt. Quis sensus, quae ratio cavitatem  
ibi observat? Intentio etiam nunquam advertitur.  
Quod intenditur, solidum sit. At nullâ in nube solidi-  
tas, sicut nulla in nebula, nulla in vapore, nulla in fumo.

B

Quod

Quod intenditur, etiam continuum sit. At vix continuitas in nube, in nebulâ, in vapore, in fumo; nedum continuitas. *Ubi ex re aliquâ, inquit Celeberr. Sennertus, quæ vel putreficit, vel comburit, vel alias à calore resolvitur, vapor aut fumus attollitur, visus quidem è longinquo corpus continuum esse judicat; cum tamen non sit continuum, sed atomorum multa millia inter se confusa.* Ut ergo in vapore, ut in fumo, neque cavitas, neque intentio: ita & in nebulâ, in nube, neutrum. Atque hinc in pugnâ illâ calidi & frigidi semper patebit porta, ut nunquam visitata faciendi eam necessaria sit. Non enim materia nubium ferrea est, aut saxeâ. Patet ubique transitus, patet patentissima porta. In lignis & castaneis, imò pomis etiam ac piris, igni admotis, res est longè diversa. Adeò enim ibi durior ac solidior cortex, qui vaporibus vetat transitum. Adsunt angustiae, quibus velut carcerebus vapes, ex humoribus latentibus ignis operâ excitati, concluduntur. At datur in nubibus via, non datur obex. Et unde tandem ignis iste, cum flamma emicat? Non ex calore, cum accidens in substantiam haud abeat. Non ex aere, cum Elementorum transmutatio magnum sit postulatum.

## II. An fulmina immediatè à Deo aut genitis excitentur?

*In Theatr. Nat. Lib. 2, p. m. 208.*

*Resp.* Joannes Bodinus totus in eo est, ut naturales fulminis causas evertat penitus. Hinc ad divinam aut dæmoniacam potestatem fugit unicè. *In omnibus* inquit, fulminum generibus conspicua vis geniorum apparet, ignes levissimos contra naturam ingenti potestate deorsum instantium & admirandas effectiones producentium. Hoc ut obtineat, aliquot format quæstiones, lectu non indignas.

Evi-

Evidentiæ gratiâ quinque notabimus. Prima sit: *Cur*  
*sepè ruptis flammâ nubibus, ingentia tonitrua exaudiuntur,*  
*sæpius tamen effractis & hiantibus fulgur tantum sine tonitru*  
*emicat?* Respondet. Nullum argumentum majus est, quo  
demonstrari possit tonitrua non à fragore nubium sed porius  
Deïa vel dampnū duvāpē excitari. Secunda: *Cur non fra-*  
*gore nubis tonitrua cieri fateamur?* Respondet. Semper  
sic ruptis flammâ nubibus tonaret: & sine nubibus tonitrua  
nunquam exaudirentur, cum tamen utrumque falso sit:  
quoniam & sine ulla nubibus cœlo sereno tonitrua exaudiuntur,  
& sepissimè fractis ab igne nubibus nulla tonitrua percipiun-  
tur. Tertia. Nonnè videmus è tormentis bellicis maximo  
cum fragore aerem erumpere? Respondet. Id quidem pro-  
babile esset in nubibus, si materia nubium ænea aut ferrea esset,  
& fugâ vacui pulveres sulphurei ac nitroſi concluderentur:  
sed cum nibil sit vapore mollius, nibil exhalatione levius, cum  
nullæ sint angustiæ, quibus aer quasi carceribus quibusdam con-  
cludatur, sed patentissimis regionibus excurrat, quis tam be-  
bes, tam cæcus, qui rationes istas sine risu audire possit? Pra-  
eterea constat sine ulla nubibus cœlo sereno tonitrua exaudiri.  
Quarta. Qui fit, ut quibus locis fulmina decidant, teterri-  
mus sulphuris odor totum aerem infestet? Respondet. Id  
certissimam demonis præsentiam significat: nam ubique  
demones cum hominibus nefaria societatis fide copulantur, fa-  
dissimum semper relinquunt sulphuris odorem, quod sortilegi  
sepissimè experuntur, & confitentur. Quinta. An etiam  
verum est, eos ignes qui à nostris fatui vocantur, & qui circa  
sepulchra, paludes ac patibula vagantur demones esse, ut pluri-  
que putant? Respondet. Ludibria demonum esse vel hoc  
argumento convinci potest, quod sibilo procul etiam evocati  
celerrimè advolant, & vocantem necant, aut crudelissime  
torquent, nisi fenestram, qua venientem viderit repente con-  
cludat:

cludat: viatores etiam in flumina aut periculosa precipitia sequentes deducunt, quos arcere si voles, clara voce Deum appellare, aut primum facie terram contingente adorare oportet. Hoc amuletum majoribus nostris acceptum ferre debemus. Hæc Bodinus, qui talem fulminis struit Definitionem: Fulmen est inflammata exhalatio, geniorum ope agitata, & à superioribus potestatisibus deorsum disjecta, cum ingenti fragore, quem tonitru vocant, ac tèrri mo sulphuris odore. Verùm causarum ignorantia cò adegit Virum, ut miserè crederet, naturæ viribus fieri non posse fulmina. Sed si omne id quod non capit fatis ratio, è naturæ eliminandum theatro, nihil tandem habemus, quod naturam agnoscet formaticem. Ubique clamandum cum Scaligero: In luce verum temui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majore cæci sumus, in maximâ insanimus. Neque rationibus Bodini facere fatis, difficile. Primùm enim Dei gloriosi manum potentissimam agnoscimus omnino. Nunquid tu emittes fulgura, Iobus ait, &

*Cap. 38. §. 35.* ibunt, dicentq; Ecce nos? Sacræ literæ verò dum primam celebrant causam, haud negant secundas. Dæmonum quoque sàpè concurrere ludibria, quis neget?

*Cap. 1. §. 16.* Non illi procul à nobis, non in ignotis versantur sedibus, sed terras perambulant, ignem è cœlo decidere faciunt, & Jobi oves ac liberos flammâ perdunt. Non tamen semper fit, quod semel fit, atque iterum. Neque à solo fit, quod concurrente naturâ fit. Ignes levissimi cum descendunt, nec propriæ naturæ impetu, nec Satanæ molimine, id agunt. Tertia datur causa, hostis præsencia ac violentia. Cum fulgur sine tonitru emicat, sulphurea cum primis adsunt effluvia, quæflammam facile concipiunt, splendoremque excitant. Sine sonitu verò hæc coruscatio fit, quia nitrum aut non adest, aut non exqui-

exquisitè mistum est. Cum tonitru sine fulgure datur,  
nondum inflamatum sulphur est. Cum tamen inca-  
lescere jam cœperit, aversari hoc & aufugere conatur  
nitrum. Hinc illæ turbæ & mürmura tanta. Sine ul-  
lis nubibus cœlo sereno fulmina cum fiunt, eadem sul-  
phurea & nitrosa prostant effluvia. Hæc enim ut in nu-  
bibus, ita & sine illis, nunc flammat, nunc sonum, nunc  
utrumque pariunt. Et tormentis bellicis non ob fu-  
gam vacui, sed naturale sulphuris ac nitri dissidium, in-  
gens excitatur fragor. Teterimus sulphuris odor, non  
ubique Satanæ indicat præsentiam. Si nonnunquam  
sulphur hujus instrumentum, num collendum à parti-  
culari ad universale? Et qualis quæso sequela; Satan  
ubi cum hominibus rem habet, fædum relinquit odo-  
rem: ergò ubi fædus odor, ibi Satan? Quanquam &  
multa fulmina sine odore sulphureo sint. Denique  
cum igni fatuo se jungit dæmon, suum tribuendum igni  
isti, suum dæmoni. Fenestram verò huic aperiendam,  
credat cui dæmonum nescia natura. Transcant cæ-  
tera.

### III. Unde miranda fulminis effecta?

Resp. Lucius Scipio, inquit Nonius, cum aurum  
haberet in cistâ vimineâ, ita fulmine est icta, ut cista esset  
integra, aurum verò colliquisset. Et Plinius ait: Fulmi-  
num ipsorum plura genera traduntur. Quæ succa veniunt,  
non adurunt, sed dissipant. Quæ bumida, non urunt, sed in-  
fuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificè maximè  
natura, quo dolia exburiuntur intactis operimentis, nulloq; a-  
lio vestigio relicto. Aurum, & as, & argentum liquatur intus,  
facculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo-  
ceræ. Marcia princeps Romanorum icta grava, partu exa-

nimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. Addunt  
& alia Autores. Animalia, dicunt, non venenata, ve-  
neno imbuuntur; venenata, veneno privantur. Dor-  
mientis oculos fulmen aperit, vigilantis claudit. Feles,  
canes, & capras, fulmina maximè petunt. Aquilam,  
laurum, vitulum marinum, & hyacinthum, non fe-  
riunt. Hæc & similia de fulmine narrant docti & indo-  
cti. Ubi si semper paterent circumstantiæ, forsitan minus  
laboraremus. Non parum præstat transitus, nunc ce-  
lerior, nunc tardior. Minus enim sœvit patente transi-  
tu fulmen. Negato eo viam quærit impetu. Sic lo-  
culis salvis conflat pecuniam, vaginâ illæsâ lædit gladium,  
gravidâ salvâ extinguit fætum. Quicquid enim reperit  
solidum, ut contumax vincit. Quod cedit, aut nullâ,  
aut levi afficitur injuriâ. Animalia verò non venenata  
veneno imbuuntur, ob pravum fulminis spiritum. Ve-  
nenata veneno privantur, quia idem spiritus venena se-  
cum aufert. Similia enim tolluntur similibus, venena  
venenis, calida calidis, frigida frigidis, pingua pingui-  
bus. Dormientes fulmine percussi apertos habent o-  
culos, quia perterriti subito oculos aperiunt, quos mor-  
te oppressi claudere nequeunt. Vigilantes clausis re-  
periuntur oculis, quia ne fulmina terribilia conspiciant,  
oculos claudunt, quos post aperire non licet. Feles,  
canes, & capras, fulmina petunt maximè, ob spiritus sul-  
phureos in animalibus hiscè frequentiores. Quanquam  
experientia fallax, famaque tam falsi, quam ve-  
rinuncia sit. Mundus delectatur fabulis,  
hominesq; simplici vero triplex  
adjiciunt falsum.

F I N I S.

Ad





*Ad*  
**Doctissimum Dn. Respon-**  
**dentem.**

**Q**uid nubes atra, quid rauca tonitrua  
prætent,

Claraq; quid valeant fulmina missa  
polo,

Dum queris, Tibi dulce Dei prælustria facta  
Pandere commonstras. gratulor hos animos.

Macte tuo genio! Vires exponere rerum  
Contende & factis digna brabea feres.

M. Johan. Sperling/  
p. t. Decanus.





03 A 1512



10/17 001





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPUTATIO PHYSICA  
De  
**F U L M I N E,**

*Quam*

AUSPICE CHRISTO,  
*Sub*  
PRÆSIDIO

*VIRI*

CLARISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

Dn. M. JOHANNIS Sperling/

PHYSIOLOGIÆ PROFESSORIS PUBLICI,

Amplissimi Philosophorum Collegij  
p. t. DECANI Spectabilis,

Dn. Præceptoris, Fautoris & Promotoris singulariter  
honorandi,

*Publicè propugnaturus est*

JOH. ADAMUS MULLER Obernbrettâ-Franc.

*Ad diem 14. Martii, in Auditorio Majori  
boris matutinis.*

*WITTEBERGÆ*

Ex officinâ Typographicâ MICHAELIS Wende  
ANNO M DC XLIII.